

PLAUTE *Miles gloriosus* (dialogue entre le soldat Pyrgopolinice et son « parasite » Artotrogus)

PYRGOPOLINICES : Curate ut splendor meo sit clipeo clarior

Quam solis radii esse olim quam sudumst solent ;

Ut, ubi usus veniat, contra conserta manu

Praestringat oculorum aciem in acie hostibus.

Nam ego hanc machaeram mihi consolari volo,

Ne lamentetur neve animum despondeat

Quia se jam pridem feriatam gestitem,

Quae misera gestit fartem facere ex hostibus.

Sed ubi Artotrogus hic est ?

ARTOTROGUS : Stat propter virum

Fortem atque fortunatum et forma regia.

Tum bellatorem ... Mars haud ausit dicere

Neque aequiperare suas virtutes ad tuas.

PYRGOPOLINICES : Quemne ego servavi in campus Curculionieis,

Ubi Bumbomachides Clutomistharidysarchides

Erat imperator summus, Neptuni nepos ?

ARTOTROGUS : Memini ; nempe illum dicis cum armis aureis,

Cujus tu legiones difflavisti spiritu

Quasi ventus folia aut paniculum tectorium.

PYRGOPOLINICES : Istuc quidem edepol nihil est.

ARTOTROGUS : Nihil hercle hoc quidemst,
Praeut alia dicam – quae tu numquam feceris.

Perjuriorem hoc hominem si quis viderit

Aut gloriarum pleniorum quam illic est,

Me sibi habeto, ego me mancupio dabo.

Nisi unum : epityrum estur insanum bene.

PYRGOPOLINICES : Ubi tu es ?

ARTOTROGUS : Eccum. Edepol vel elephanto in India

Quo pacto ei pugno praefregisti bracchium !

Extrait du Manuel de Latin 1ère Hachette Éducation (mars 2002), p. 86